

nullo modo est iudex competens, ne quidem ex consensu partium: quia videlicet alterutra partium ignoravit ejus incompetentiam; vel quia ex defectu aliarum conditionum ad prorogationem jurisdictionis requisitarum, de quibus infra § 6. n. 129 et seqq. in ipsum consentire non potuit. Nihilominus regulariter exceptio declinatoria fori debet proponi ante omnia alia, atque ante ipsum ingressum litis: alioquin enim scienter litigans coram iudice cæteroquin incompetenti, hoc ipso censeretur in ejus personam consensisse, ipsiusque jurisdictionem in se prorogasse; qua ratione is ex incompetente fieret iudex competens, qualis postea amplius recusari non posset. Julius Clarus lib. V. *Practicæ criminalis*. § fin. quæst. 35. in addit. n. 1 et 2. citans Beroum in cap. i. n. 16. *de Accusat.*

9. *Quid, si de competentia, vel incompetencia iudicis, liquido constat?* — Resp. II. Quando de incompetencia iudicis aliunde liquido constat, citatus venire non tenetur, l. ult. ff. *de Jurisdic. omn. judic.* Glossa in l. II. §. *Sciatur* ff. *Si quis in jus vocatus*, etc. et communis. Secus, quando certum est, citatum esse de jurisdictione citantis: quia tunc venire debet, alioquin punitur, l. 1. ff. *Si quis ius dicenti non obtemperat.*

10. *In dubio de incompetencia fori tenetur citatus venire, suamque exceptionem probare.* — Resp. III. Si vero de incompetencia fori, seu jurisdictione citantis certo non constat, sed dubium existat, adhuc tenetur citatus comparere; atque allegando privilegium exemptionis, aut aliam legitimam causam opponendo, docere de incompetencia iudicis. Patet hoc ex c. *Cum personæ*. 7. *de Privileg.* in 6. et l. *Si quis ex aliena*. juncta Glossa §. *Existimare*. ff. *de Judicis*. Ubi et hujus ratio redditur illis verbis: « Prætoris enim est existimare, an sua sit jurisdictio: vocati autem est, non contemnere auctoritatem prætoris. » Concordat. l. II. ff. *De in jus vocando*, ubi pariter citatus venire tenetur, haud obstante dubio de jurisdictione citantis: « Ut hoc ipsum (inquit textus) sciatur, an jurisdictionis ejus sit. » Idque merito statutum fuit: alioquin enim perversi quique facile eluderent omnem iudicis auctoritatem, allegando ex causis quandoque frivolis hujus incompetenciam, si stante dubio non tenerentur comparere, et incompetenciam fori probare.

11. *Et tunc ipsemet iudex cognoscit, an sua sit jurisdictio, necne.* — Atque ex his formatur generalis regula communiter inter doc-

tores recepta, quod, ubi quæritur de ipsa fori competentia, quilibet iudex, sive ordinarius, sive delegatus, cognoscere possit, an sua sit jurisdictio, juxta cit. l. *Si quis ex aliena*. ff. *de Judic.* Idque verificatur non tantum, si ad instantiam partis, sed etiam si ex officio iudicis proceditur: nam jura allegata loquuntur indistincte. Abbas in c. *Super litteris*. n. 10. § *Numquid iudex*. *de Rescript.* Engel h. t. n. 96. Quinimo istud procedit etiam in iudice cæteroquin incompetente, ut puta, dato per rescriptum subreptitè obtentum: nam et talis habet potestatem cognoscendi in dubio, an ipse sit iudex, necne; prout uberius dictum est lib. I. tit. XXIX. *de Officio et potestate iudicis delegati*. § 6. n. 130 et 133.

12. *Nec obstat, quod nemo sit iudex in propria causa. Propria causa, quæ censeatur esse?* — Dices: Nemo potest esse iudex in propria causa; ergo nec talis iudex poterit cognoscere, an sua sit jurisdictio. Resp. regulam in antecedenti positam limitari inter alia, quando istud a lege fuit concessum iudici; prout accidit in præmisso casu vi citatæ legis, *Si quis ex aliena*, cum concordantiis supra tit. præced. § 8, n. 210 et n. 207 et 208. allatis, ubi plura de hoc. Accedit, quod re penitus inspecta, iudex iudicans de sua jurisdictione, non sit iudex in propria causa quantum ad utilitatem: unde non mirum, quod possit super ea pronuntiare; uti notat Glossa, et Bartolus in cit. l. *Si quis ex aliena*. ff. *de Judicis*. Idque declaratur ex eo: quia iudex pronuntians, quod sua sit jurisdictio, nullum inde emolumentum suo nomine recipit, sed tantum ampliatur jurisdictio sui officii: atqui ea dumtaxat censetur « propria esse causa, cujus emolumentum, vel damnum, ad aliquem suo nomine pertinet; » ut loquitur textus notabilis in l. I. § *In propria*. ff. *Quando appellandum sit*; ergo.

13. *Orta questione de competentia fori inter iudicem ecclesiasticum et laicum, debet cognoscere ecclesiasticus.* — Quæritur IV. Quod si tandem inter iudicem ecclesiasticum et laicum oriatur quæstio super competentia fori in casu speciali, utroque pro se jurisdictionem prætentente, tunc ipsi non conjunguntur, nec uterque agnoscit; sed iudex ecclesiasticus propter majorem auctoritatem, et prærogativam fori ecclesiastici præ sæculari, semper præfertur, debetque cognoscere, an sua sit jurisdictio, necne. Ita desumitur ex c. *Si iudex*. 12. juncta Glossa, et doctores ibid. *de Sentent. excomm.* in 6. ubi loquendo de male-

factore, qui captus a iudicè sæculari dicit se esse clericum, istud clare habetur decisum; prout amplius infra § ult. n. 273 et seqq. h. t. dicitur. Id ipsum suadet major auctoritas potestatis ecclesiasticæ præ civili, quæ, quanto præstat aurum, si comparetur ad plumbi metallum, tanto præcedit potestatem sæcularem, can. *Duo sunt*. dist. 96. Et quanta est differentia inter solem et lunam, ita major est auctoritas ecclesiastica, quæ præest diebus, id est, spiritualibus; ac altera, quæ præest carnalibus, c. *Solite*. 6. *de Majorit. et obed.* cum similibus. Atque ideo datam conclusionem tenet Felinus in 6. *Pastoralis* n. 4. *de Rescript.* nomen lectorem, ut hujus nunquam sit oblitus. Covarruvias *Pract. quæst.* cap. XXXIII. n. 1; Sperellus decis. 8. *Fori ecclesiast.* n. 23. et decis. 24. n. 59. allegans alios; Jason in l. *Ex quacunque*. n. 19. ff. *Si quis in jus vocatus*, etc. post Anton. de Butrio in c. *Cæterum*. col. 4. *de Judic.* et Joan. de Imola ibid. subjungens, quod hoc communiter tenetur, Julius Clarus, lib. V. *Pract. criminalis*. § fin. quæst. 36. n. 21; Farinacius in appendice *de Immunit. eccles.* n. 367. et lib. I. *Praxis criminalis*. quæst. 8. n. 33. citans plurimos alios.

14. *Competentia fori pluribus modis oritur.* — Quæritur III. Quibus modis generatim inducatur competentia fori? Resp. I. Etsi pluribus modis oriatur competentia fori, adeo ut Speculator tit. *de Competentis iudicis additione*, quinquaginta duos modos sortiendi forum enumeret; nihilominus generatim loquendo fori competentia deducitur ex tribus potissimum principiis: I. *Ex persona iudicis*: ut quia est ordinarius, vel delegatus, aut quia prorogata est ejus jurisdictio. II. *Ex persona rei*: ut quia hic alicubi habet domicilium, vel ibi contraxit, aut deliquit, vel saltem res ejus in territorio talis iudicis sita est: item quia habet privilegium fori, adeo ut alibi conveniri nequeat, et hujusmodi. III. *Ex qualitate causæ*: ut quia causa ecclesiastica, vel sæcularis, aut feudalis, et hujusmodi. Engel, h. t. n. 1. atque amplius patebit ex dicendis.

15. *Modi ordinarii ac speciales, et extraordinarii seu generales sortiendi forum, qui?* — Resp. II. Modi ordinarii, seu speciales sortiendi forum, sunt quatuor, qui enumerantur in cap. ult. h. t. illis verbis: « Ratione delicti, seu contractus, aut domicili, sive rei, de qua contra possessorem causa movetur, forum regulariter quis sortitur. » Alii vero

modi sortiendi forum dicuntur extraordinarii, simulque generales, utpote cum non sint restricti ad certam speciem, sed indifferenter possint competere respectu delictorum, contractuum, rerumque ipsarum. Ita Abbas in cap. ult. n. 2. h. t.; Pirhing eod. n. 5 et 6; Saning cap. f. n. 6 et 7. ac alii. Atque de præcipuis ipsorum singillatim loquendo, sit

§ II

DE MODO ORDINARIO SORTIENDI FORUM RATIONE DOMICILII.

16. *Domicilium generatim, quid, et quotuplex?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit domicilium? Resp. I. *Domicilium* in genere, dici potest locus habitationis diurnæ, seu longi temporis, ut explicat Calepinus §. *Domicilium*. Atque istud juxta doctores communiter dividitur in domicilium habitationis, in domicilium originis, et in quasi domicilium. Ludov. Engel, h. t. n. 1. et alii in progressu enumerandi.

17. *Domicilium habitationis, quid? De hoc semper intelligitur nomen domicili absolute positum.* — Resp. II. *Domicilium habitationis* dicitur locus ille, in quo quis larem habet, aut majorem fortunarum suarum partem constituit, animo ibidem perpetuo commorandi. Ita in re communis, atque desumitur ex l. *Senatores*. c. *de Senatorib.* et l. *Cives*. c. *de Incolis*, lib. X. Siquidem verum domicilium non nuda voluntate, et assertione, sed animo et facto simul constituitur, §. *Domicilium*. c. *Ad municipalem*, estque amplius dictum supra libro I, tit. XI. *de Temporibus ordinationum*. § 4, n. 86. Et de hoc domicilio habitationis semper intelligi debet, ubi fit mentio de domicilio absolute posito, juxta Glossam in c. *Statutum*. §. *Unam dictam*. *de Rescript.* in 6. et Innocentium in cap. ult. h. t.

18. *Potest quis in pluribus locis domicilium habere, licet hoc sit difficile.* — Potest autem contingere, quod quis nedum in uno, sed etiam in pluribus locis, ejusmodi domicilium habeat: ut si quis in duobus locis domum constituerit, ibique æqualiter moretur, per textum notabilem in l. *Assumptio*. § *Jurisprudentibus*, ff. *Ad municipalem*. Concordat c. *Ex parte*. 19. juncta Glossa, §. *Andegavensi*, et Abbate ibid. n. 8. h. t. atque amplius declarat alia Glossa in c. *Dilectus*. 29. §. *Domicilium*. *de Rescript.* Quamvis difficile esse, quod quis

in duobus locis habeat domicilium, ultro fateatur jurisconsultus in l. *Ejus qui manumisit*. § *Celsus*. ff. *Ad municipalem*.

19. *Peregrinari, ac esse sine domicilio, quis dicatur?* — Quod si quis aliorum profectus fuerit, animo tamen revertendi, tunc is *peregrinari* dicitur, l. *Cives*. C. *de Incolis*, lib. X. Si autem quis domicilio relicto naviget, aut iter faciat, quærens quo se conferat, aut ubi consistat, tunc talis censetur esse sine domicilio, cit. § *Celsus*. ff. *Ad municipalem*. Hostiensis in *Summa*. h. t. n. 4. et alii.

20. *Domicilium originis, quid?* — Resp. III. *Domicilium originis* dicitur illud, ubi tempore suæ originis, seu nativitatis, parentes cujuspiam stabilem sedem habuerunt. Et de hoc fit mentio in l. *Senatores*. ff. *de Senatorib.* illis verbis: « Tamen et ibi, ubi oriundi sunt, habere domicilium intelliguntur. » Glossa in c. *Statutum*. §. *Unam dietam, de Rescript.* in 6. Jason l. *Cunctos populos*. n. 25. c. *de Summa Trinitat.* Pirhing h. t. n. 10. et alii.

21. *Ad hoc non sufficit, quod quis fortuito alicubi natus fuerit.* — Notanter tamen additur in conclusione, « stabilem sedem habuerunt. » Nam ad domicilium originis non sufficit, quod quis alicubi fortuito natus fuerit, puta a parentibus ibidem in itinere, vel negotiorum causa constitutis; sed requiritur, quod tempore nativitatis suæ, parentes ipsius ibidem stabilem sedem sive domicilium habuerint. Abbas in c. *Rudolphus*. n. 9. *de Rescript.*; Bartolus l. *Filios*. n. 4. C. *de Municipib.* et alii; atque dictum est supra lib. I, tit. XI. *de Temporibus ordinationum*. § 4, n. 77 et seqq.

22. *Quasi domicilium, quid?* — Resp. IV. Per quasi domicilium intelligitur habitatio dumtaxat temporalis, longior tamen, seu per majorem anni partem, vel etiam plures annos alicubi continuata, absque animo ibi perpetuo commorandi. Ita communis. Sic v. g. studiosi in academiis studiorum causa diutius commorantes, et famuli in servitiis dominorum suorum occupati per annum, aut majorem ejus partem, censentur ibidem quasi domicilium contrahere, arg. l. II. C. *Ubi de criminib.* juncta Glossa, ibid. §. *Degit*.

23. *Et qualis habitatio ad istud requiratur?* — Additur notanter, « habitatio longior, seu per majorem anni partem. » Nam si quis aliorum se conferat, animo ad breve dumtaxat tempus ibidem permanendi, ut puta recreationis causa, vel ut ruralia in villa exercent; is non censetur ibidem quasi domi-

cilium adipisci, arg. c. *Is qui, de Sepultur.* in 6. Neque intelligitur ibidem habitare, sed potius hospitari, l. I, § *Habitare*. ff. *De iis, qui dejecerunt*. Secus, si quis studiorum, aut negotiorum causa aliorum pergat, animo per majorem anni partem ibidem consistendi: talis enim ibi acquirit quasi domicilium.

24. *Ratione domicilii (habitationis) certum est, acquiri forum. Iste est verus et naturalis forus.* — Quæritur II. An, et qualiter ratione domicilii forum quis sortiatur? Resp. I. Certum est, quod ratione domicilii (habitationis videlicet) quis forum consequatur, ita ut ibidem conveniri valeat; quinimo iste proprie dicitur verus, et naturalis forus. Patet hoc ex c. *Licet*. 20. seu ult. h. t. et tradunt ibidem Innocentius, n. 3; Butrius, n. 16 et Fagnanus, n. 9. cum aliis, hunc proprie appellantes verum et naturalem forum. Concordat textus in l. *Cives*. C. *de Incolis*. lib. X. ubi dicitur, quod « Cives quidem origo, manumissio, allectio, vel adoptio; incolas vero domicilium facit. » Unde consequens est, quod forus domicilii, recte dicitur verus, et naturalis forus.

25. *Appellatione suæ diœcesis, in dubio intelligitur diœcesis domicilii.* — Hinc etiam fit, quod appellatione suæ diœcesis, in dubio intelligatur diœcesis domicilii; non autem originis, vel alia Glossa singularis in c. *Statutum*. §. *Unam dietam, de Rescript.* in 6. asserens sic servari in Curia romana. Felinus in c. *Licet ratione delicti*. n. 23, h. t. citans alios, et Fagnanus, loc. cit. n. 10.

26. *Et appellatione subditi, subditus ratione domicilii.* — Hinc ulterius appellatione subditi, in dubio venit dumtaxat subditus ratione domicilii, arg. l. *Cives*. C. *de Incolis*. lib. X, ibi: « Incolas vero domicilium facit. » At vero subjecti, ex alio foro, puta contractus, delicti, vel rei sitæ, licet sortiantur forum quoad casum illum, nihilominus non dicuntur proprie subditi, sed solum isti subditi ex domicilio. Glossa in Clem. 1, §. *Subditus*. h. t. Abbas in c. *Proposuiti*. n. 2, h. t. asserens hoc esse notandum propter statuta facientia mentionem de subditis, quæ cum sint stricti juris, stricte sunt interpretanda, sicque intelligenda de subditis ratione domicilii. Felinus, et Fagnanus, ubi supra, cum communi, ac rursus dicitur infra § 4, n. 105.

27. *Et large solum appellatur quis subditus ratione delicti, contractus.* — Nec obstat c. *A nobis*. 21. *de Sentent. excomm.* ubi generalis excommunicatio per episcopum contra furtum

committentes lata, non obligat nisi subditos; et tamen etiam comprehendit eos, qui aliunde advenientes in ejus diœcesi furtum committunt; prout notat Glossa magna ibidem. Resp. enim cum alia Glossa in c. *Nuper*. 29. §. *Tunc erit*. eod. quod in cit. c. *A nobis*, large appelletur quis subditus ratione delicti: quanquam hoc jam sufficiat ad incurrendam ejusmodi excommunicationem, cum ratione delicti sortiatur quis forum.

28. *Forus domicilii concurrat cum quolibet alio foro; adeo, ut reus ibidem possit conveniri super rebus, et delictis etiam alibi gestis.* — Resp. II. Forus domicilii est ordinarius, ac universalior cæteris, concurrens cum quolibet alio foro; in tantum, ut reus possit ibidem conveniri etiam pro contractibus alibi gestis, ac pro delictis alibi commissis, ac super rebus alibi sitis. Ita Abbas in cap. 1, n. 6 et c. *Cum contingat*. n. 7 et cap. ult. n. 38, h. t.; Felinus cit. n. 33; Fagnanus ubi supra, n. 12 et alii. Sic quippe potest quis in foro domicilii conveniri de contractu alibi gesto, c. *Delicti*. 17, h. t. Sicut et de re alibi existente, l. ult. C. *de Præscript. long. tempor.* Ac etiam de crimine alibi commisso, l. *Sciens*. Auth. *Quæ in provincia*. c. *Ubi de criminib. agi oportet*. Accedit ratio, quia si in foro domicilii non posset reus conveniri de alibi gestis, commissis, aut existentibus, tunc iste forus superflueret: atqui hoc non est dicendum; ergo iste forus est ordinarius, ac generalis ad omnia, ut inquit Calderinus cap. 1, *de Raptorib.*, cujus dictum laudat Abbas cit., num. 38.

29. *Judex domicilii potest procedere contra subditum præsentem, ac etiam citare absentem, quoad omnes effectus.* — Resp. III. Judex domicilii non solum potest procedere contra subditum, quando hic est præsens, omnimodam jurisdictionem in ipsum exercendo; sed insuper potest subditum domicilii citare absentem, et ubicunque existentem, etiam quoad omnes effectus. Ita Abbas in d. cap. ult., n. 41, h. t.; Felinus cit., n. 23, §. *Et scias*; Fagnanus c. *Licet*, n. 12, h. t. et communis aliorum. Ratio est, quia, ubicunque quis existat, remanet subditus judicis domicilii, hoc ipso, quod domicilium non mutet, sed retineat; simulque citatio decernitur in proprio territorio ipsius judicis.

30. *Nec obstat quod nuntius exequatur citationem extra ejus territorium; et cur?* — Nec obstat, quod nuntius talem citationem exequatur extra territorium judicis citantis. Nam

actus nuntii citationem exequentis, ut citatus futuræ litis notitiam habere valeat, nudum dumtaxat ministerium executionis est, non actus jurisdictionis; arg. c. *Romana*. §. *contrahentes*, juncta Glossa h. t. in 6, et l. *Omnes*. §. *Verum si apparitor*. C. *de Episcop. et cleric.* ac notat Gailus, lib. 1. *Pract.* observat. 56, n. 3; Abbas, Fagnanus, ubi supra, et alii.

31. *Præcipuus citationis effectus, est comparitio.* — Quod autem judex domicilii possit citare absentem quoad omnes effectus, declaratur inductione. Nam imprimis præcipuus citationis effectus, est comparitio. Gailus cit. lib. I. observat. 51, n. 8. Atqui absens citatus a judice domicilii, tenetur comparere, sub pœnis illico referendis.

32. *Judex domicilii, quomodo procedere possit contra subditum absentem citatum, et contumacem in comparendo.* — Deinde, quando absens citatus, est contumax in comparendo, potest contra ipsum judex domicilii procedere per missionem actoris in possessionem bonorum ipsius, ut tædio affectus reus veniat responsurus, cap. ult. § *In aliis*, et § *Si autem*, « Ut lite non contestata, » etc. Vel si reus contumax bona mobilia, aut immobilia non habeat, in quorum possessionem actor mitti possit, tunc ipse pro merito suæ contumaciæ potest excommunicari, aut alia ecclesiastica censura innodari; ut cit. § *Si autem*, eod. Abbas loc. cit., n. 42. post Glossam in can. *Episcopum*. 9, q. 2, §. *Ordinandum*, et alios communiter, paucis exceptis; idemque tenet Federicus de Senis, consil. 16, et Fagnanus, ubi supra n. 14. Ad idem favet textus in c. *Veritati* 8. *de Dolo et contum.* et c. *Cum sit Romana*. 5. § fin. *de Appellat.*, cum similibus.

33. *Judex domicilii, quomodo procedere possit contra subditum absentem citatum, et contumacem in comparendo.* — Tertio, judex domicilii potest contra subditum absentem citatum, et contumacem in comparendo, etiam procedere ad condemnationem, quando status causæ id patitur. Nam, quod contra absentem possit ferri sententia condemnatoria, si est contumax, et altera pars de suo jure sufficienter docuerit; clare liquet ex cit. c. *Veritatis*. 8. *de Dolo et contum.* et c. *Ex tua*, § 1, *de Cleric. non resid.* et l. *Properandum*, § *Et si quidem*, C. *de Judiciis*. Abbas, ubi supra, n. 41.

34. *Spectato jure communi sortitur quis forum ratione domicilii originis, potestque conveniri in loco originis.* — Quæritur III. Utrum quis forum sortiatur, et conveniri valeat ra-

one domicilii originis? Resp. Affirmative; ut proinde spectato jure communi possit quis conveniri in loco originis, dummodo ibi reperitur. Ita Abbas in cap. 1, n. 6, h. t. et Bartolus in l. *Assumptio*, § *Filius*, §. *Videamus*, ff. *Ad municipalem*, citans Jacob. de Aretio; Pirhing h. t., n. 10 et alii. Conclusio hæc desumitur ex l. *Incola et iis*, ff. *Ad municipalem*, juncta Glossa, §. *Jurisdictioni*. Concordat textus in l. *Hæres absens*, § 1, ff. *de Judiciis*: ubi dicitur, quod hæres ibi sit « conveniendus, ubi defunctus debuit, si ibi reperiatur: » secus ergo, si ibi non reperiatur. Quanquam Julius Clarus, lib. V *Criminalium*, § fin. quæst. 39, n. 1, hoc ultimum asserat solummodo procedere in causis civilibus.

35. *Et quid de consuetudine?* — Notat tamen Engel h. t., n. 6, reum quidem indubitanter conveniri in loco originis, quando tempore institutæ actionis ibidem habitat: tunc enim domicilium habitationis concurret cum domicilio originis. Quod si vero reus habitationem suam alio transtulerit, tunc jus conveniendi aliquem in loco originis, ab usu recessisse; ut tradit Colerus in tract. *de Process. execut.*, part. II, cap. II, n. 17; et Mathias Stephanus *de Offic. judic.*, part. I, lib. I, cap. VIII, n. 28. Unde de domicilio originis non oportet fusius disserere.

36. *Certum est, quod in loco quasi domicilii possit quis conveniri super contractibus, ac delictis ibidem gestis.* — Quæritur IV. Utrum, et qualiter ratione quasi domicilii sortiatur quis fori, ita ut ibidem conveniri valeat? Resp. I. Certum est, quod in loco quasi domicilii, seu diuturnioris habitationis, possit quis conveniri super contractibus, ac delictis ibidem gestis, seu commissis. Ratio est clara. Quia tunc, si non ratione quasi domicilii (de quo proxime), saltem ratione delicti, aut contractus ibidem gesti, sortiatur quis fori, cap. ult. h. t.

37. *An autem ratione quasi domicilii ita quis sortiatur fori, ut possit ibi conveniri super alibi gestis, variant doctores.* — Resp. II. An autem ratione quasi domicilii, seu diuturnioris habitationis in loco, ita quis sortiatur fori, ut ibidem etiam conveniri valeat super contractibus, et delictis alibi gestis, aut perpetratis, major est difficultas, et diversæ extant sententiæ doctorum, quorum plures in utramque partem allegat Felinus in c. *Dilectus*, il. 2, n. 12, *de Rescript.*

38. *Negativa sententiæ, ejusque ratio referatur.* — Negativam tenet Bartolus in l. *Hæres*

absens, § *Proinde*, ff. *de Judiciis*: ubi in fine docet, quod scholastici ratione studii sortiatur fori, ut si ibi contrahant, possint ibi conveniri: non autem, quod pro contractibus, vel obligationibus antea factis, ibi conveniri possint. Idem tenet Hostiensis in c. *Quod clericis*, h. t. et Engel h. t., n. 10, hanc sententiæ amplectens in casu, quo quis alibi habet verum domicilium, et non nimis remotum. Ratio hujus sententiæ est: quia jura statutaria, quod quis possit alicubi conveniri ratione domicilii, loquuntur de vero domicilio; nam in dubio a verborum proprietate recedendum non est, l. *Non aliter*, ff. *de Legat.* II. Atqui quasi domicilium, non est verum domicilium; ut l. *Cives*, C. *de Incolis*, lib. X, ergo.

39. *Affirmativa est probabilior, ejusque fundamenta.* — Affirmativam, simulque probabilior sententiæ, videlicet in loco quasi domicilii posse quempiam conveniri etiam super contractibus, et delictis alibi gestis; ex professo tradit Abbas c. *Quod clericis*, n. 5, h. t.; Felinus in d. c. *Dilectus*, il. 2, n. 12, *de Rescript.*; Pirhing h. t., n. 18, et alii plures, quos citant. Desumitur hæc sententiæ ex l. II, C. *Ubi de criminibus*, etc.; nam competens iudex ibidem censetur ille, ubi reus « degit, hoc est (ut inter alia loquitur Glossa finalis) conversatur, ut scholaris in scholis, licet domicilium non habeat ante decennium. » Accedit ratio, quia absurdum videtur, quod quis diutius in loco moraretur, et nollet ibi respondere de alibi gestis: sic enim quasi domicilium, seu diuturna conversatio in loco parum operaretur; prout amplius urget Felinus loc. cit.

40. *Affirmativa est probabilior, ejusque fundamenta.* — Confirmatur: quia ex quasi domicilio alicubi constituto (dum videlicet quis locum accessit animo longius, saltem per majorem anni partem, ibi commorandi) acquiritur jus parochiæ pro foro interno; ita ut quis non solum sacramentum penitentiae, sed etiam omnia alia sacramenta (excepto sacramento ordinis) possit ab episcopo, vel parochio illius loci recipere: prout fuse ostendit Sanchez, lib. III, *de Matrim.* disp. 22, n. 12 et seqq. Cur igitur hoc ipsum non sit admittendum pro foro externo? Præsertim, cum istud suadeant jura, rationes et auctoritates, tum hæctenus allatæ, tum uberius apud Abbatem loc. cit. et alios videndæ.

41. *Solvitur fundamentum prioris sententiæ.* — Atque ex his satisfit fundamento prioris

sententiæ. Negatur enim major sic universaliter prolata, per jura et rationes nunc allatas. Quanquam idcirco non negetur, quin particularis locorum consuetudo, quantum ad propositum, multum operetur, ac in praxi vel maxime sit attendenda.

42. *Habens æqualiter domicilium in duobus locis, sortiatur in utroque fori.* — Quæritur V. Quid juris, si quis in duobus locis domicilium habeat, aut inchoata lite prius dimiserit? Resp. I. Si quis obtineat domicilium habitationis in duobus locis, eo quod utrobique æqualiter sit instructus, æqualiterque per anni decursum commoretur, tunc in utroque loco censetur sortiari fori, potestque conveniri. Ita desumitur ex c. *Ex parte*, 15, h. t. juncta Glossa, §. *Andegavensi*, et Abbate, n. 8; et doctores. Ibidem. Concordat textus in l. *Labeo*, et l. *Assumptio*, § fin. ff. *Ad municipalem*.

43. *Domicilii permutatio non perimit instantiam, coram iudice ejus jam ceptam.* — Resp. II. Mutatio domicilii non perimit instantiam coram iudice illius domicilii jam ceptam: unde legitime citatus tenetur coram hujusmodi iudice citante causam prosequi non obstante, quod post citationem mutaverit domicilium. Patet hoc ex c. *Proposisti*, 19, h. t. estque communis. Accedit ratio: quia per citationem legitime factam prævenitur, ac perpetuatur jurisdictio iudicis citantis; sicque citatus, haud obstante mutatione domicilii, « jus revocandi fori non habet, quasi ab altero jam preventus, » ut loquitur textus ibidem.

44. *Vagabundi, qui?* — Quæritur VI. Qui censentur vagabundi, et ubi fori sortiatur ratione domicilii? Resp. I. Vagabundi censentur illi, qui nullibi certam et stabilem sedem aut domicilium habent, sed hinc inde vagantur. Ita Abbas in cap. ult. n. 13, h. t.; Sanchez, lib. III, *de Matrim.*, disp. 25, n. 1, et alii. Atque desumitur ex l. *Ejus qui manumisit*, § *Celsus*, ff. *Ad municipalem*, ubi dicitur: « Si quis domicilio relicto naviget, vel iter faciat, quærens quo se conferat, atque ubi consistat; nam tunc primum puto sine domicilio esse, » sicutque censebitur vagabundus.

45. *An talis sit, qui pergit ad locum in quo domicilium est collocaturus.* — Nec obstat, quod quis relicto priori domicilio, ac in itinere constitutus, jam animo destinaverit locum, in quo domicilium sit collocaturus. Adhuc enim talis censetur vagabundus, dum est in via, cum careat pro tunc domicilio.

Prius enim domicilium (uti supponitur) re, et facto deseruit, alterum vero nondum obtinuit; quia domicilium re et facto transfertur, non nuda contestatione, seu animi destinatione, l. *Domicilium*, ff. *Ad municipalem*; Sanchez cit. disp. 25, n. 3.

46. *Vagabundi sortiuntur fori, ubi reperiuntur.* — Resp. II. Vagabundi, qui certum domicilium, vel habitationem non habent, sortiuntur fori, ubi reperiuntur; adeo, ut ibi possint conveniri etiam ratione contractus, vel delicti alibi commissi, seu celebrati. Ita Glossa marginalis in cap. ult. §. *Aut domicilii*, h. t. dum ait, quod vagabundus ibi dicitur domicilium habere, ubi invenitur. Et Glossa in l. *Hæres absens*, § *Proinde*, §. *Debit*, ff. *de Judiciis*, dicens, quod si debitor vagari cœperit per orbem, nec alicubi certum domicilium habeat, possit conveniri, ubicumque reperiatur, ne alioquin creditor jus suum perdat. Quam Glossam, pluribus jam juribus firmatam approbat Bartolus ibid. § *Quæro quid si debitor*, subjungens, quod juxta ipsam multi ribaldi suspendantur in civitatibus et castris; cum non habeant alicubi forum. Fagnanus c. *Licet*, n. 26, h. t.; Pirhing eod. n. 15; Sanchez lib. III, *de Matrim.* disp. 25, n. 5, citans alios. Idque desumitur ex l. I, C. *Ubi quis de Curiali*, etc. et l. I, C. *Ubi de criminibus*, etc., juncta Glossa fin. de talibus vagabundis illud vulgatum allegante: « Ubi te invenero, ibi te iudicabo; » et amplius firmat Joan. Andreas cap. ult. n. 11, h. t.

§ III.

DE MODO ORDINARIO SORTIENDI FORUM RATIONE DELICTI.

47. *Certum est, quod ratione delicti alicui commissi quis ibi fori sortiatur.* — Quæritur I. An, et qualiter ratione delicti quis sortiatur fori? Resp. I. Certum est, quod ratione delicti alicubi commissi quis ibi sortiatur fori; adeo, ut in cujus territorio quis delinquit, ejus jurisdictioni subiciatur, ab eoque puniri possit, licet alias eidem subditus non sit. Patet hoc ex c. *Postulasti*, XIV, et cap. ult. h. t. can. *Placuit*, 6, q. 3. et cap. I, *de Raptorib.* cum similibus. Concordat. Auth. *Quia in provincia*, C. *Ubi de criminibus agi oportet*, ibi: « Qua in provincia quis deliquit, aut in qua pecuniarum, aut criminum reus sit, illic etiam juri subjaceat. » Et merito scelerata in eo loco puniri præcipiuntur, ubi commissæ sunt; partim ad exemplum, seu terro-